



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

II. Quod iuxta Apostoli testimonium, etiam paruuli, qui nihil peccati adhuc commiserunt, omnes in peccatorum remissione veraciter baptizentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

C A N O N E S.

ANNO
CHRISTI
416.

I.

Cod. Can.
cap. 109.
Conc. Afr.
cap. 76.
De consecr.
dist. 4. Pla-
cuit igitur
omnibus e-
piscopis.

PLACVIT ergo omnibus episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc quæ in præsentî Concilio definita sunt: Ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II.

Cod. Can.
cap. 110.
Conc. Afr.
cap. 77.
De consecr.
dist. 4. Pla-
cuit, vt qui-
cumque
paruulos.

Rom. 5.

Item placuit, vt quicumque paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vere, sed false intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit.* Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.